

1563. 11. Aug.

597
E. Episc. Sig. Aug. imp. Lipsie

Duci Curlandiae.

Miles quosdam in subsidium Ducis Finlandiae profecturos, proposito iurejurando, saluos transmitti cupit.

198
Illustris Princeps Domine Amice sincere nobis Dilecte. Retulit nobis spectabilis Joannes Comes de Arce Orator ab Illustri Domino Joanne Principe hereditario Regni Sueciae, Duce Finlandiae, Affine nostro charissimo ad natus, Regem Sueciae, hostilia contra Illustris Fratrem, memoratum affinem nostrum, moliri, eumque jam obsidione in arce Abbo circumsisse. Quare ut fortioribus presidio munitus esse possit, praedictus Comes de Arce de voluntate nostra septuaginta milites coegit, quos ad Illustritatem suam quamprimum ablegare in animum induxit. Volumus igitur ut eosdem milites Illustritas Vestra recepto prius ab eis iurejurando, se Regi Sueciae stipendia merituos non esse, in Finlandiam libere transire permittat, eisque securum et tutum iter per Livoniam, qua ituri sunt, concedat et permitti ac concedi faciat. Bene valere Illustritatem Vestram cupimus. Datum Vilnae Undecima Augusti.

